

stituere valeat exequutorem, seu etiam huic concreditum munus segniter obeunti alium subrogare : tunc enim Episcopus interponere se nequit, nisi cum substitutus quoque segnis, et negligens deprehendatur : sed hoc demum casu ad Episcopum devolvitur onus ac cura exsequendi, quod allii neglexerunt.

CAPUT V.

DE REBUS SACRIS, SANCTIS, ET RELIGIOSIS.

§ 124.

DE ECCLESIIS ET ALTARIBUS.

Hactenus de temporalibus Ecclesiae rebus dictum est. Postulat nunc instituti nostri ratio, ut alterum rerum ecclesiasticarum genus persequamur, earum nempe quae sacrae, sanctae et religiosae appellantur, quod Deo et religioni consecratae sunt. Hujusmodi autem praecipue sunt Ecclesiae, Altaria, omnisque sacra supellex, tum Coemeteria et sepulturae Ecclesiasticae, Monasteria et Seminaria, ac domus hospitalis pro pauperibus, peregrinis et aegrotis. De singulis breviter edisseremus, ac primum de Ecclesias aedificandis et reparandis.

Quamvis Ecclesias erigere et aedificare pium, religiosum ac laudabile opus sit, ne temere tamen aut cum aliorum jactura, aut sine congrua perpetua dote erigantur, Sacri Canones omnino vetant, ullam sive Ecclesiam, sive Capellam, sive Oratorium, sive Altare aedificari sine Episcopi, in cuius Dioecesi exstruitur, consensu et auctoritate. Hinc si quis, vetante Episcopo, Ecclesiam construxerit, nullum in ea jus, ne patronatus quidem, acquirit, neque in ea sic aedificata fas est divina officia celebrare. Si vero Episcopus justa de causa

consenserit, nova fabrica non est inchoanda, nisi aut ipse, aut aliis ab eo delegatis locum inspexerit et approbaverit, crucemque in eo fixerit, ac primum lapidem benedictum in fundamentis posuerit, servato ritu quem Pontificale Romanum praescribit. De Parochialium erectione jam egimus superiori § 84.

Altaria in Ecclesiis vel publicis Oratoriis Episcopi auctoritate aedificatis ergenda sunt, eaque marmorea sint oportet, aut saltem lateritia et fixa; nam, ex decreto Concilii Trid. sess. 22 dec. de Observ. et vitand. in celeb. Missar., abrogatum est privilegium utendi Altari portatili, quo ex cap. 30 de Privileg. nonnulli Regulares fruebantur.

Exstructae Ecclesiae identidem instaurandae et reparandae sunt. Sarciri autem debent ex redditibus earumdem Ecclesiasticorum, si quos habeant, peculiariter pro fabrica assignatis. Quod si Ecclesiis vel nulli sint reditus ad eum usum, vel sufficientes non sint, inspiciendum erit, num forte alicui ex lege speciali, hoc est statuto, pacto, vel consuetudine id oneris incumbat: hoc enim eventu is ad Ecclesiam instaurandam cogendus est. His autem modis deficientibus sequentes regulae potissimum observantur. 1. Si templum sit Cathedrale, Episcopus conferet quartam partem reddituum measae Episcopalis; si Parochiale, Parochus conferet eos Beneficii fructus, qui post honestam sui sustentationem supersint. Cum Episcopo ad necessariam Ecclesiae Cathedralis reparationem quilibet Canonicus symbolam conferre tenetur, si id Praelatus cum majori parte Capituli constituerit, cap. fin. de iis quae fiunt a maj. part. Capit.: cum Parocho autem tenentur omnes pro rata, qui in eadem Parochia pensiones habent, nisi forte pensiones ab eo onere immunes concessae fuerint, quod plerumque contingit. Itemque, ex Concilio Trid. sess. 21 cap. 7 de Ref., Patroni omnes et alii qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochiani omnes ad predictam restorationem opportunis remedii ab Episcopo

cogendi sunt. Quinam vero nomine Parochianorum intelligentur, S. Congregatio Concil. in *Immolen*. *restorationis Ecclesiae Parochialis* diei 5 Septemb. 1793 et in *Camerinen*. et *Cingulana* an. 1841, decrevit in sequenti ratione « teneri populum et possidentes in districtu Paroeciae etiam exteros per aes et libram : eagentiores vero, qui pecuniam conferre nequeunt, manus adjutrices praebant. » 2. Beneficiarii, qui proprias beneficiorum Ecclesias habent, onus restorationis sustinere debent, ubi tamen redditus supersint necessariae eorum sustentationi. 3. Ecclesias patronatas nisi suffientes ad hoc fructus habeant, instaurare tenetur Patronus, cui proinde consentaneum temporis spatium praefinitur, quo vel Ecclesiam restauret, aut si necessitas postulet, rursus aedificet, vel juripatronatus renuntiet. Non videtur tamen Patronus cogendus esse; namque Concilium Tridentinum, dum in cit. sess. 21 jubet inter alios etiam patronos ad id compelli, de iis tantum patronis loquitur, qui aliquos fructus, vel pensiones in fundatione sibi reservarunt, uti planum est ex his verbis ejusdem decreti : « patronos omnes et alios qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt. » 4. Quod si tum patroni, tum parochiani, aliquique fructus aliquos ex Ecclesiis percipientes « nimia egestate laborent, » tam Parochiales quam aliae Ecclesiae cum beneficiis et oneribus « ad matrices seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi. » Concil. Trid. eadem sess. 21 cap. 7.

§ 125.

DE CONSECRATIONE AUT BENEDICTIONE ECCLESIAE, ALTARIS,
ALIARUMQUE SACRARUM RERUM.

In Ecclesiis aedificatis sacra celebrare vetitum est, nisi

prius consecrentur aut saltem benedicantur, hoc est divino cultui solemniter dedicentur. Consecrationis autem et benedictionis diversi sunt ritus et minister. Namque in consecratione Ecclesiae praemittitur jejunium, et vigilae coram Roliui sub altare immittendis cantantur; parietes et duodecim ibi depictae cruces chrismate unguntur, aliisque ritus, quos exhibet Pontificale Romanum, adhibentur. Minister consecrationis est tantum Episcopus, in cuius Dioecesi nova Ecclesia aedificata est, nec Presbyteri ea potestate donantur, nisi ex Romani Pontificis privilegio. Consecratio omni quidem die, decentius tamen Dominicis aut festis peragitur, et dies consecrationis inter annua festa celebratur, simul ac dedicationis officium quotannis recitatur. Benedictio tantis ritibus non abundat, nec in ea unctione sacra adhibetur, ejusque impertiendae idoneus minister est etiam Presbyter Episcopi auctoritate delegatus.

Altaria quoque, super quibus sacrificium celebratur, ab Episcopo consecranda sunt : itemque Patenae, Calices, Campanae jure communi solus Episcopus, jure autem singulari Praelati usu Pontificalium praediti pro suis Ecclesiis benedicunt et consecrant. Demum sacra omnia tam Ministrorum, quam Altaris ornamenta per Episcopum benedicenda sunt : nulli quippe Sacerdoti, nisi facultatem consequutus sit, illis benedicendis aptus est. Praelati autem Regulares non alio ad id privilegio donantur, quam sacra ornamenta benedicendi pro suarum, non autem pro aliarum Ecclesiarum usu, quemadmodum Sacra Rituum Congregatio saepius declaravit.

Ecclesiae et Altaria semel consecrata ad sacras peragendas in eis functiones apta permanent donec execrentur vel polluantur. Execratur autem Ecclesia, dum tota vel major parietum pars eversa sit : contra autem si Ecclesia per partes renovetur, ut eadem semper consistat, aut saltem eadem iudicio hominum reputetur. Altare execrari dicitur, ubi sacer lapis adeo fractus fuerit, ut superstes integra pars Calicem et

Patenam continere commode nequeat, vel si amotum sit se pulcrum, seu lapis sub quo reliquiae conduntur. Execrato tamen altari Ecclesia execrata non censetur, quum diversis ritibus Ecclesia et Altare consecrentur.

Polluitur Ecclesia per humani seminis aut sanguinis effusionem, per homicidium etiam citra sanguinis effusionem in ea patratum, per sepulturam ethnici, vel excommunicati vitandi, aut haeretici publice denuntiati. Si Ecclesia quae polluitur, consecrata sit, non nisi per proprium Episcopum, aut ejus mandato per alium Episcopum reconcilianda est : id autem fit fusis precibus et aspersione lustralis aquae, vino et cineri permixtae et ab Episcopo ad hunc usum rite benedictae. Pontificale Roman. Quod si Ecclesia tantum benedicta sit, non consecrata, per quemcumque Sacerdotem ab Episcopo deputatum aquae lustralis aspersione reconciliabitur. In primis autem amovenda est si adhuc exstet, pollutionis causa, uti si polluta sit per sepulturam excommunicati, ante omnia cadaver ubi discerni potest effodiendum. Coemeterium vero per Ecclesiae pollutionem, si contiguum ei sit, polluitur : at contra Coemeterio ipso polluto Ecclesia non polluitur. Reconciliatur autem Coemeterium a Sacerdote, si ab Episcopo facultatem habeat, aspersione aquae benedictae, et precibus a Ritu Romano praestitutis.

§ 126.

DE COEMETERIIS ET SEPULTURIS ECCLESIASTICIS.

Apud omnes fere gentes etiam barbaras indignum et inhumani visum est corpus hominis, qui caeteris animantibus dignitate praestat, inhumatum projicere a volucribus ferisque bestiis dilaniandum et in cibum absumentum. Hunc hominum animis a natura inditum Religionis et pietatis sensum Catholica Ecclesia semper fovit et auxit. Hinc vetustissima

illa coemeteria exstiterunt, et adhuc exstant, in quibus tot Christi martyrum et fidelium exuviae conditae sunt. Nam vetus Ecclesiae disciplina non patiebatur omnium fidelium corpora in Ecclesiis sepeliri. « Nemo, ait S. Gregorius lib. 4 Dialog., in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut alterius justi hominis qui per vitae meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisiverit. » Illud etiam apud Romanos receptum erat, quod tantum clariores viri virtutis vel dignitatis causa in urbe sepelirentur. Et ille quidem honor a Christianis est primum martyribus tributus, ut eorum reliquiae in Ecclesiis deponerentur; mox Episcopis, Regibus, Presbyteris et Laicis etiam sanctitate conspicuis, ac demum successu temporis omnibus indiscriminatim fidelibus humatio in Ecclesiis permissa est. Videtur autem Ecclesiae mens semper fuisse, ut fidelium corpora non in Ecclesiis, sed in Coemeteriis sepeliantur; namque Rituale Romanum jussu Pauli V editum sic decernit : « ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur. »

Jure communi antiquo quisque fidelis sepeliendus erat in propria Parochiali Ecclesia, vel ejus Coemeterio, ut defunctus cum ea Ecclesia communicaret cui vivus adhaeserat, et in qua spirituali pabulo refici consuevit. Postquam autem Pontificum privilegiis concessum est Regularibus jus in propriis Ecclesiis, et Coemeteriis tumulandi fideles qui in eis sepulturam elegissent, et postquam fidelibus ipsis permissa deinde fuit facultas sepulcra gentilitia et familiaria exstruendi, necessario factum est ut fideles libertatem adepti fuerint parochiale sepulturam deserendi. Itaque jure novo sepulturam licet sibi construere et eligere in quovis loco religioso : quo nomine non solum Ecclesiae Parochiales et Monasteria, sed publica quaevis Oratoria intelliguntur, ubi divina mysteria, licet minus frequenter, celebrantur. Verum si novum sepulcrum exstruendum sit in Ecclesiis saecularibus, postulatur

Ordinarii licentia in scriptis obtinenda praeter consensum Ecclesiae Rectoris, vel Patroni; in Ecclesiis Regularium requiritur licentia saltem Provincialis, nisi Monasterium pactionem fecerit de non recipiendis Parochianis alicujus Ecclesiae, tum enim Regulares non possunt pacti poenitere, nec eis fas est quempiam tumulare, licet apud eos elegerit sepeliri, multoque minus sepulcri constructionem permittere, cum per pactum privilegio renuntiaverint, cap. 1 de pactis in 6. In Monialium vero Ecclesiis sine peculiari S. Cong. Episcoporum et Regularium licentia, ac sine expresso ipsarum Monialium consensu nulla pro laicis, cujuscumque sint dignitatis ac sexus, sepulcrā construi, et cadavera tumulari possunt, iis exceptis qui ab immemorabili tempore familiae sepulcrum in praedictis Ecclesiis habuerint. Patronus autem Ecclesiae aut Capellae non nanciscitur usum et jus sepulturae, nisi in acquirendo jurepatronatus haec apposita fuerit clausula « cum facultate seu jure funerandi; » vel nisi obtenta Capella in patenti ejus loco sepulturam effodiat, et Episcopus ac Rector Ecclesiae non contradicant; tunc enim tacita quedam adesse licentia praesumitur.

§ 127.

DE JURE ELIGENDI SEPULTURAM.

Cum igitur modo fideles in quavis Ecclesia sepulturam eligere, vel sepulcrum habere possint, ordo postulat: 1. Ut defunctus sepeliatur in Ecclesia quam elegit: electio autem rata est, sive in testamento fiat, sive citra testamentum, seu integra valetudine, seu morte imminentे, seu scripto, seu voce, seu etiam nutibus, dummodo eligentis voluntas satis innotescat. Caeterum electio sepulturae omnino libera esse debet, et ab omni vi et dolo immunis: hinc Bonifacius VIII, cap. ANIMARUM de Sepultur. in 6, sic statuit: « Universis

Religiosis et saecularibus Clericis cujuscumque status, vel conditionis existant in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione maledictionis aeternae districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum inducant ut apud eorum Ecclesiis sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent: si secus actum fuerit, eam electionem irritam esse decernimus, et praeterea statuimus, ut hi qui sic elegerint nec apud Ecclesiis sibi electas ullatenus sepeliri, nec alibi eligere possint sepulturam, sed apud illas Ecclesiis omnino sepeliantur, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si non electa sepultura decessissent. Si vero iidem Religiosi et Clerici praedictos in suis Ecclesiis vel Coemeteriis sepeliri praesumperint, ad restitutionem tam sepulrorum corporum, si petantur, quam etiam omnium quae occasione sepulturae illorum quomodolibet ad eos pervenerint, infra decennium integraliter faciendam ipsos obligatos esse volumus; quam nisi fecerint, Ecclesiae suae apud quas sepulti fuerint, nec non Coemeteria earumdem eo ipso sint, et tamdiu maneant ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis omnibus praedictorum plenaria facta fuerit restitutio. » Hoc Bonifacii VIII Decretalem Clemens V non modo firmavit, sed etiam poenis in ea statutis adjecit excommunicationem majorem a transgressoribus ipso facto incurrendam, et Sedis Apostolicae reservatam, cap. CUPIENTES de Poenis. Duo tantum sunt personarum genera quae vetantur sibi eligere sepulturam, scilicet impuberes ob consilii inopiam, et Religiosi qui propriae voluntati renuntiarunt. Et Religiosi quidem in Monasterii Ecclesia, vel Coemeterio sepeliendi sunt: de impuberibus autem sic statutum est in cap. LICET de Sepult. in 6: « Licet pater minores liberos, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terrae id habeat) quo voluerit sepelire, hoc tamen non potest ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus, vel in Parochiali Ecclesia tumulandi. » Ea vero facul-

tate impuberi filio sepulturam eligendi recte uititur pater, donec filius vivit, non tamen post ejus obitum, namque S. Congregatio Episcop. et Regul. in Fulginaten. diei 27 Octobris 1587, sic declaravit : « Sepulcrum pro filio minori in vita, non post ejus mortem potest pater eligere. » Et Congregatio S. Rituum anno 1641 declaravit : « Potest pater eligere sepulturam pro filiis impuberibus in vita, non post mortem. » Quod si pater ipse impuberi filio praemortuus fuerit, S. Congregatio Concilii in Avellinen. 15 Septembris 1605 statuit « etiam matrem, cum pater non adest, posse impuberi filio sepulturam eligere, vivente tamen filio. » At puberibus, etiamsi filiis familias fuerint, licet sibi eligere Ecclesiam vel Coemeterium in quo sepeliantur, nam electio sepulturae, veluti jus spirituale censemur, cui patria potestas non officit : uxoribus etiam integrum est sibi eligere sepulturam.

2. Ut si absque sepulturae electione quis decedat, in sepulcro suorum majorum humandus sit. « Nos instituta majorum patrum considerantes statuimus unumquemque in majorum suorum sepulcris jacere ut patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, » ait Leo III cap. 1 de Sepultur.

3. Ut quicunque sibi sepulturam nec vivens elegerit, nec gentilitum seu familiare sepulcrum habeat in quo tumuletur, in sua Parochia sepeliendus est, exceptis tamen : 1. Cardinalibus et Praelatis, qui in suis titulis vel Ecclesiis quibus praesunt sepeliendi sunt. 2. Canonicis qui in Ecclesia Capituli habent sepulturam in qua humantur. 3. Beneficiariis, imo Sacerdotibus et Clericis omnibus, quoties in Ecclesia beneficii, aut in Ecclesia matrice sepulcrum adsit iisdem tumulandis destinatum. 4. Oblatis, qui vere in claustro sub obedientia vixerint, seseque una cum bonis omnibus irrevocabili inter vivos donatione Monasterio dederint, his scilicet non secus ac caeteri Regulares in propriis Regularium Ecclesiis sepeliendi sunt. 5. Demum uxoribus viduis quae in sepulcro

viri sepeliuntur, ut unaquaque mulier sive in vita, sive post mortem sequatur virum suum, et si qua mulier pluribus nupserit, in sepulcro ultimi mariti humanda est.

Quamvis autem fideles extra propriam Parochiam sepeliantur, semper tamen advocandus est Parochus, antequam cadaver e domo esferatur. Ad Parochum etiam pertinet cadaver ipsum lustrali aqua aspergere, lugubre officium praecinere ac vias indicere per quas asportetur, licet ad Regularium Ecclesiam deferendum sit. Praeterea Parocho debetur *quarta funeraria seu canonica*, certa nempe portio ex oblationibus aliisque emolumentis, quae Ecclesiae tumulanti ratione sepulturae obveniunt. Profecto justum visum est tribuere aliquid Ecclesiae Parochiali, quae defunctum Christo genuit per baptismum, Sacramentis enutrivit, ejusque dum vixit spirituale causam egit. Quarta autem funeralis, seu portio ex obventionibus funerariis Parocho tribuenda, licet semper quarta dicatur quia tanta a jure statuitur, non est tamen ubique eadem, sed alibi major, alibi minor pro locorum consuetudine, imo Ecclesia Parochialis jure ejus portionis percipiendae cadere potest, ubi jus ipsum ab alia Ecclesia quadraginta annis cum titulo, vel immemorabili tempore sine titulo praescribatur, quod plures Canonistae docent.

§ 128.

DE PERSONIS ECCLESIASTICA SEPULTURA INDIGNIS.

Sepultura Ecclesiastica soli fideles donantur qui in Ecclesiae communione decesserunt, nempe « sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, nec communicemus defunctis, et ut careant Ecclesiae sepultura qui prius erant ab Ecclesiae unitate praecisi, nec in articulo mortis Ecclesiae reconciliati fuerint » cap. 12 de Sepult. Speciatim autem S. Canones et Pontificiae Constitutiones ecclesiasticam

sepulturam denegant: 1. Hebraeis, Turcis, infidelibus, non baptizatis, et ipsis etiam Christianorum infantibus mortuis sine baptismo, si tamen ex utero emerserint et in lucem prodierint, nam si in defunctae matris utero obierint, tanquam viscerum ejus pars cum matre in Ecclesia sepeliuntur. 2. Apostatis, haereticis et schismaticis. 3. Excommunicatis vitandis, ac nominatim ab ingressu Ecclesiae exclusis seu interdictis. 4. Publicis ac manifestis usurariis. 5. Sacrilegis raptoribus atque Ecclesiarum violatoribus. 6. Decedentibus in torneamentis, vel in duello, sive in loco duelli et conflictus, sive procul a loco certaminis, ex vulnere tamen in eo accepto obierint. 7. Praeceptum annuae confessionis et communionis non impletibus. 8. Regularibus utriusque sexus proprietariis, id est mortuis cum peculio, quod non custodiae causa, sed nomine proprio, et sine venia superioris refinebant. 9. Mortem impatientia, ira, aliave simili causa sibimet ipsis inferentibus, nisi eos ob mentis inopiam id egisse constet, quod in dubio semper praesumitur. 10. Tandem furibus, latronibus, adulteris in ipso crimine occisis, omnibusque manifestis et publicis peccatoribus qui sine poenitentia decesserunt. In dubio autem an aliquis ecclesiastica sepultura donandus sit, Episcopus sententiam dicit.

§ 129.

DE MONASTERIIS.

Monasteria sunt quaedam domicilia, in quibus plures viri seu mulieres vitam communem degunt, et consilia evangelica sectantes sub certa probata regula solemniter profitentur. Viri ac mulieres cujusque Instituti vulgato nomine *Regulares* nuncupantur. Harum Institutionum lib. I § 29, 30, 31, 32 satis dictum est de origine Monachorum et Regularium, de natura Status Religiosi, de professione ejusque effectibus, et de exemptionibus Regularium. Restat itaque ut de Monasterio-

rum erectione, et pauca de Clausura Monialium dicamus.

Jam vero novum Monasterium erigi non potest sine venia Episcopi et beneplacito Sanctae Sedis, cap. unico § CONFIRMATOS de Relig. domib. in 6; Clementis VIII Constitut. QUONIAM AD INSTITUTAM, et Gregorii XV Constitut. CUM ALIAS.

Praeterea cavendum est ne id fiat cum aliorum jactura; quapropter ab Episcopo in primis audiendi sunt praefecti antiquorum Monasteriorum, quae sunt in locis circum positis intra quatuor millia passuum, ne eorum Monasteria propter locorum paupertatem, sive eleemosynarum tenuitatem, aliasque ob causas aliquid ex nova fundatione detrimenti capiant. Audiendus quoque Parochus intra cuius Paroeciae fines novum Monasterium aedificandum est, et videndum an jura Parochialis ullo modo laedantur. Nulla denique novi monasterii aedificatio inchoanda est, nisi sive ex certis redditibus, sive ex consuetis Fidelium eleemosynis duodecim saltem Regulares in eo habitare et commode ali possint. Haec autem fere omnia in erigendis quoque Monialium monasteriis observanda sunt, et insuper ex Decreto Concilii Tridentini sess. 25 cap. 5 earum Monasteria intra urbes vel oppida frequentia fundanda sunt.

Si Monasterium sive ob vetustatem aedificii quod ruinam minetur, sive ob coelum insalubre, sive ob varias gravissimas causas ab eo loco in quo positum est in alium, quantum fieri poterit, proximiorem locum transferendum sit, necessarium non est praefatas conditiones observare, quia non agitur de novo exstruendo monasterio, sed de veteri transferendo, quod saepius S. Urbis Congregationes rescripserunt.

Denique Congregationes Presbyterorum Saecularium collegialiter viventium sola auctoritate Episcopi seu Ordinarii fundari possunt, nam teste Nicolio in flosculis verb. *Conventuum a S. Congregatione Episcoporum et Regularium declaratum est: « sub decretis super erectione novorum Conventuum non comprehenduntur Congregationes Presbyterorum Saecula-*